B. N. C
FIRENZE
1006
13

VIII
FERR

5

Al dottiss.o sig.r Magliabechi
mio sig.re Firenze

1006.13

OCTAVII FERRARII
MINERVÆ CLYPEUS
sive
PRO LITERIS ET PROFESSORIBUS APOLOGETICA
Proluſio XXXI.



PATAVII, MDCLXXIV.

Typis Petri Mariæ Frambotti Bibliopolæ.

Superiorum Permiſſu.

Ampliſsimis & Præſtantiſsimis

SENATORIBVS

ANDREÆ CONTARENO

NICOLAO SAGREDO

BAPTISTÆ NANIO

D. MARCI PROC. PATAVINI

Gymnaſij Moderatoribus

Octauius Ferrarius Felicitatem.

NOn diu mihi quærendum fuit cuius templi poſtibus aduerſis ære cauo clypeum figerem, Deæ ſtudiorum præſidis geſtamen. Id enim iure ſuo adyta veſtra repoſcebant, quæ Numen illud lætius, quam olim Cecropiam arcem inſedit. Aegis veſtra eſt, turbatæ Palladis arma: veſtra literarum tutela, penes quos ſtudiorum regimen ſuperi, ac ſapientiſsimus Senatus eſſe voluerunt. Veſtro ſupercilio res

literaria fulcitur, veſtro nutu regitur, in veſtro ſinu, & complexu artes, ac diſciplinæ conquieſcunt, ſpiritumque & ſanguinem recipiunt: vos denique Regiæ illius munificentiæ ſequeſtri, & diſpenſatores eſtis, cuius exẽplum hodie fruſtra quæritur, quæ effuse mortales iuvando cum ſuperis paria facit.

Nam quod eiuſdem Senatus principes eſtis, quod unicum in terris prudentiæ ſacrarium habetur, quodque rerum ſummæ per vices admoti, maximis muneribus, & Legationibus ſemper pares, tam vaſti Imperij fata temperatis, minima pars laudum eſt, quibis ſapientiæ, & eloquentiæ gloria præcellitis. Vnde vobis perpetua ſtudiorum cuſtodia, vigileſque excubiæ, cenſura morum, & ſolemne illud, Ne quid reſp. literaria detrimenti capiat.

Id nuper, incertum maiore beneficio, an admiratione experti ſumus, cum rebus commotis ſignum ad bene ſperandum extuliſtis. Adhuc defixi ſtupemus, nec dum ſatis oculis, ſatis auribus credimus, cum prouiſu Senatus, aſperrima hieme ad lapſam diſciplinam refouendam miſſi ſtudiorum inſpectores, Venetæ maieſtatis radios, veſtraque ora ſerena Gymnaſio intuliſtis; & ſi dicere fas eſt, non magiſtratus modo, ſed laureatos ingenij faſces exiguæ imperij veſtri clientelæ ſubmiſiſtis.

Cum inter adoleſcentium ſubſellia Doctorum Acroaſes frequentaretis, in plano turbæ diſcentium immixti, quos celſo tribunalium ſolio ſublimes ſuſpeximus, hoc ipſo eminentiores, quod infimis pares eſſe voluiſtis: cum vos ſuper ipſos docentium ſuggeſtus, ſuper ora noſtra, ingens

gloria

gloria veſtra, famaque eueheret, & ad Cælum tolleret humus ſacrata Principum veſtigijs.

Iidem aridis profeſſorum diſputationibus aures oraculis tritas patienter commodaſtis, quos roſtra quatientes, aut in Senatu fulgurantes principum conſeſſus admiratur: ijdem ſilentium Muſarum ſacris præſtitiſtis, quorum ore, ac beata facundia toties Reſpublica Pontifices, & Cæſares allocuta eſt: ſed taciti, de ſtudiorum neceſsitate, & dignitate peroraſtis.

Ergo veſtro nutu, ac ſapientia res compoſitæ, & in tranquillum adductæ, & ex turbido Alcedonia conſecuta ſunt. Quodſi, vt ait ille, maris, cælique temperiem turbines, ac procellæ commendant, prope tanti fuit, res miſceri, & concuti, vt beatiſsimo veſtro conſpectu recrearemur. Quamobrem, ſi, vt Plinij iunioris verbis vtar, fas, piumque eſt mortalibus cæleſtia æſtimare, nullam maiorem eſſe credimus Principum felicitatem, quam feciſſe felices, & interceſsiße inopiæ, & dediße homini nouum fatum. Interim Gymnaſium triplex fulgentiſſimum ſydus adorat, veſtra nomina æternum manſura literarijs faſtis præſcribet, Orbiſque Vniuerſus à veſtra ſapientia, & generoſitate Venetam magnitudinem æſtimabit. Valete publico, & literarum bono. Patauij ex veſtro Athenæo Nonis Nouembribus MDCLXXIV.

OCTAVII FERRARII CLYPEVS MINERVÆ

Proluſio XXXI.

Belli paciſque artibus regna, & reſpublicas conſeruari, hæcque duo Imperiorum vincula firmiſſima eſſe, alterum vt populi bene beateque viuant, alterum vt poſſint, ſapientum conſenſu, totque ſeculorum vſu comprobatum eſt. His artibus Veneta reſpublica ſuper ceteras ciuitates caput extulit, & rerum geſtarum gloria Cælo proximum reddidit: Imperij reuerentiam vſque ad extremum Solis cubile terra marique extendit: intactam ab origine libertatem inter tot ſeruientium animas per tantum æui conſeruauit: barbarorum Italiæ ceruicibus inſultantium furorem, toties repreſſit, & contudit: coniuratam ad extinguendum eius nomen Europam, inuicta ſuſtinuit, ac repulit: Religionem, & ſacrorum regimen acerrime tutata eſt: maximam omnium potentiam Scythica rabie ſuccinctam, perpetuam virtutis, ac gloriæ materiam, Chriſtiani Orbis ſpolijs exultantem fatigauit, ac fregit: & quamuis lento colliſa duello, aliqua Imperij parte attonſa, fortior, atque admirabilior ex aduerſis ſurrexit, & ſi non hoſtes ſemper, fortunam ad extremum deuicit.

Sed vnicæ reip. bellorum proſpera, vel aduerſa, claris ſcriptoribus memorata ſunt, ijſque carptim & ſimpliciter perſtringendis, hoc in loco obſcuritas noſtra aliquid auſa eſt, quod ore rudi conditum profeſſione pietatis excuſatum iri ſperamus. Pacis opera, atque ornamenta, hoc eſt literas, ac diſciplinas ab interitu vindicatas, ac læta propagine extremo Orbi, ab omnium gentium magiſtra communicatas: incredibilem curam, atque indulgentiam, inter tanta opera bellorum, inſtituendæ iuuen-

tuti, fouendiſque & honorandis ſtudijs impenſam, & contracto quicquid vbique gentium ſapientiæ atque eruditionis fama præcellebat, in hac Vrbe conſtitutum Muſarum templum, & doctorum Prytanæum, hocque literarium regnum, ſicut Orbis attonitus admiratur, & prædicat, ita ipſis ſtudiorum auſpicijs recolere, ac venerari, publicæ Maieſtatis intereſt, vt Gymnaſij tot beneficijs aucti, ac penè obruti, exiguum aliquod, & ſimplex, ac ſola pietate conſpicuum monumentum extet, tantum ab aſſentatione, quantum à laudandi neceſſitate alienum.

Sicut ergo Veneta ſapientia firmando Imperio, validiſſimas arces, Italiæ ipſius mœnia erexit: ita in hac Vrbe firmiſſimum munimentum, aduerſus inſcitiam, atque ingruentem barbariem excitauit, celſumque hoc Muſarum Capitolium, arcemque Tarpeiam optimarum artium fundauit, atque eminentiſſimis ingenijs, ex Orbe toto, ingenti ſumptu, & inaudita munificentia euocatis, inexpugnabile præſidium impoſuit.

In quo non ſummam modo Venetæ rei dignationem, & decus incomparabile, ſed ingens etiam commodum ſitum eſſe, nemo ſanæ mentis negauerit. Quid enim maius, & ad ſeculorum memoriam ſempiternam, illuſtrius dici, aut excogitari poteſt, quam Orbem ingenijs ſpoliare, vt idem reddita vice ſcientiarum theſauris locupletetur, & viros primorum principes voto maioribus honorarijs, ab extremis vſque terrarum oris pellicere, vt inde honeſtiſſima iuventus ingenij cultum capiat, & largo fœnore, atque centeſima fruge inſtitutionis beneficium rependat, vt quo Romana ſigna non penetrarunt, Venetus munificentiæ ingenio peruaſerit.

Sunt quidem Venetorum domi militiæque res geſtæ per ſe ampliſſimæ, & vſque in contentionem Romanæ maieſtatis florentiſſimæ: verùm non quidem illæ minores, ſed minus celebres, atque illuſtres eſſent, niſi eas ſublimia ſcriptorum ora, veluti in bono lumine collocaſſent. Sicut tam Græcorum, quam Romanorum immortalia facinora, non ita in ore famæ verſarentur, niſi ea illuſtrium auctorum calamus ab obliuionis iniu-

ria vindicaſſet. Annorum ſeries, & fuga temporum, quæ mortalia opera deſtruit, illa ad extremum, deformi ſitu confeciſſet, niſi honor æternus Annalium, in æuum prorogaſſet.

Athenienſium res geſtæ, inquit Romana primus in Hiſtoria, ſicut ego exiſtimo amplæ, magnificæq; fuere, verum aliquanto minores tamen, quam fama feruntur: ſed quia prouenêre ibi magna ſcriptorum ingenia, per terrarum Orbem Athenienſium facta pro maximis celebrantur. Ita eorum, qui ea fecere virtus tanta habetur, quantum verbis eam potuere extollere præclara ingenia. Eadem ratione ceterarum quoque gentium, ac nationum res geſtæ, quamuis non minus memorabiles, hodie longa nocte vrgentur ignotæ, mortiſque nigrore ſqualent ſuffuſæ, quia ſcriptoribus caruerunt, eædemque ruinæ, quæ regnis, & vrbibus vltimæ incubuerunt, nominis quoque memoriam contumularunt.

Scilicet Taciti oraculum eſt, cetera Principibus ſtatim adeſſe, vnum inſatiabiliter parandum, proſperam ſui memoriam: nam contemptu famæ, contemni virtutes. Hunc igitur ſuper iuventutis liberalem informationem pluſquam Regiæ munificentiæ fructum reſpublica percipit, quod præſtantiſſimus quiſque ſcribendo, eius memoriam aduerſus æui impotentiam in longum extendit, ingeniumque, ac lucem fœnerando triſte ſenium rebus depellit, & ſacratis hiſtoriarum monumentis, Venetum nomen, refloreſcente fama poſteritati inſerit.

Intereſt enim gloriæ, vt quod Eumenius de non ita bonis Principibus prædicat, de Venetis verius vſurpemus, intereſt inquam gloriæ, vt ingenia, quæ canendis eorum virtutibus excoluntur, non intra priuatos parietes, ſed in publica oſtentatione, & in conſpectu totius Orbis vegetentur: atque ita non Veneta modo potentia, ſed doctrina, & eloquentia reuireſcat. Quanto maius eſt ingenij Veneti terminos in tantum promouiſſe, quam Imperij.

Præterea ex hoc fonte ipſi Domini, & regnatura capita ſapientiæ latices hauriunt, & eius prudentiæ rudimenta ponunt,

vnde extremus Orbis conſilium, Regeſque ac Principes Oracula captant. Muſarum lacte hic in ſceptra aluntur, qui Muſis loca lautia, ſuper ceteros mortales præbent: & quiſquam mirabitur à Muſarum primo alumnis, mox parentibus futuris, nutrimentorum mercedem profuſiſſima largitione rependi?

Tantum decus, atque immortalem per omnes gentes famam Veneto nomini Patauinum Gymnaſium circumponit, ſed longe maius commodum, fructuſque vberrimos adſtruit. Nam literas, ac diſciplinas eſſe omnium fundamenta virtutum, omnis induſtriæ atque omnis laudis, pietatiſque ac fidei in Principem nutrices, certum eſt. Cum artes, quæ hinc petuntur, antiqui liberales appellauerint, quod ciues ciuiliores, & homines humaniores faciant; ideo Tyrannis inuiſæ, & quia vitijs inimicæ, exilio multatæ.

Adde quod ingenuas didiciſſe fideliter artes
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

Intereſt igitur Reip. quæ optima eſt, vt quam optimis imperitet. Nam vt veteres dixerunt, Peſſimus quiſque aſperrime rectorem patitur.

Quid quod iuuentutis, aut claræ natalibus, aut penates illuſtres virtute facturæ, numeroſum ex Orbe toto examen, vaſtam hanc Vrbem, & vetuſtate laborantem, ac dominantis viciniam in frequentem prope à ſolitudine vindicat? Abſque ea foret, plurimæ domus nullo cuſtode tenerentur, raruſque habitator per immenſa ſpatia oberraret, per fora, & compita mala graminis herba ſerperet, nec pauca palatia, & ſuperba prætoria ſoli villico, ac vinitori ſeruirent. Iuvenum ſtudia æmulantium cætui debet, quod ea frequentia floret, & celebratur, vt regiam prouocare poſſit, vt alibi plus hominum ſit, hic virorum virilitatem auſpicantium. Vt iure hæc Vrbs, quod olim de Roma dictum eſt, cunctarum gentium, non exoticas merces ab vltimo Sole mutantium, ſed hoſpitali litorum adpulſu, immortalitatem negotiantium, patria poſſit appellari, nunquam peregrinæ virtuti aditu intercluſo, animorum cultu, atque inſtitutione,

mater-

maternæ venerationis nomen promerita.

Qui flos, quod lumen nobiliſſimæ iuventutis, aut exedras denſo agmine ſtipantis, aut Gymnaſio ſuboleſcentis populi vndas vomente, per Vrbem nitido cultu, ac liberali ſpecie, ſpatiantis? Clara indoles, blanda reip. ſpes, & futura reſpublica, noua propagine quotannis veluti ver ſacrum effloreſcens, ***Tros, Tyriuſue fuat***, quacumque incedit, ciuium, atque exterorum oculos, & ſollicita vota in ſe conuertit. Tacitum pertentant gaudia pectus, auide ſpectantium ***hilaro grandeſcere adauctu, Paulatimque gradus ætatis ſcandere adultæ***, aut in ipſo Gymnaſio artes, ac diſciplinas olim reparaturos, aut in tribunalibus redituros ius gentibus, conſilio Principibus aſſeſſuros, ad ſacrarum cognitionum ſtipendia, ad ipſa Palatij magiſteria euocandos, aut pellendis morbis daturos ſalutem mortalibus, aut ſacris decus, & maieſtatem addituros, aut denique per varias fortunæ vices, rerum humanarum regimen capeſſituros.

Sed vt commoda, quæ ex Gymnaſio redundant, repetamus, Venetæ ditionis iuventus, hîc nullo, aut exiguo ſumptu apud penates, ferè ſub oculis parentum, aut non ita longe ſapientiæ præceptis animos componunt, quò exteri, tam procul ab domo, tot terras, tot maria diſtantes, ſummis laboribus, atque impenſis contendunt: neque docentium penuria, aut obſcuritate coguntur noſtri ſub alio Cælo, longis expeditionibus ſapientiam licitari, & pecuniam apud exteras, aut hoſtiles gentes prodigere. Hic nulla peregrinitate infecti, patrijs legibus aſſueſcunt, virtutem, ad quam quotidie tantorum virorum præceptis erudiuntur, poſtquàm maturuerit, Principi, ac patriæ exhibituri, ac naſcendi pretia relaturi. Exteri autem huc aurum ſuum large important, vt optimarum artium opes referant, atque vna longam beneficiorum memoriam, Veneto nomini deuincti, atque obærati.

Huc accedit quod ab exundante conuenarum frequentia magna pars plebis alitur, & ſuſtentatur. Quot diuerſitores, & cœnaculariam factitantes, quot opifices, quibus ars ſua cenſus eſt,

inde

inde vivunt? Quot mercatores opimum quæſtum exercent? Si Gymnaſium deficeret, quot artificia frigerent, quanta pars populi eſuriret? Iaceret annona, nec fruges facile emptorem inuenirent, nec minus abundantia, quam ſterilitate laboraremus, niſi affluens multitudo, dum ſe liberaliter procurat, rerum pretia accenderet, atque Vrbem paſceret.

Quot profeſſores indigenæ largis ſtipendijs inde vitæ, ac laborum pretium trahunt? Quot Doctoris inſignia petentium ſportulis, laurum auro mutantes, aut ditantur, aut labentem domum fulciunt? Quot ægrorum, & languentium ex Orbe toto ad hoc ſalutis templum confluentium, nec tam Æſculapio incubantium, quam auri iactu cum morte decidentium, inuidioſa mercede opes accumulant? Exteri autem profeſſores, ampliſſimis honorarijs auctorati, poſtquam hîc penates, ac domicilium fixerunt, præter paucos admodum rei magis, quam famæ ſtudentes, amplam familiam alunt, cultuque, ac paratu cum primoribus decertant, & parem cenſui ſumptum faciunt; Principi, atque Vrbi ornamento ſunt; ciuibus lucro.

Porro quot capita Gymnaſio famulantia, ſcribæ, hypodidaſcali, pædotribæ, apparitores, ſtatuarij, pictores, tibicines, tympaniſtæ inde victum quæritant? Artes etiam non ita ſtudijs conuenientes, imò ſtudiorum diuerticula & corruptelæ, aleatores, mimi, laniſtæ, ſaltatores, citharædi, neſcio an etiam perductores, & loca Ædilem metuentia, aliquid de literario cenſu præmordent: quin Iudæorum cophinus, & ſpoliatrix ſuppellex, non parum inde corradit. Gymnaſium, quod à Principe alitur, alit quamplurimos, ſicut populos omnes, ac gentes, vbere ſcientiarum prouentu ditat, & fœcundat.

Quis ergo Venetam ſapientiam, ac prope diuinum conſilium ſatis venerari poteſt, quæ difficillimis etiam temporibus, & re domi impeditiſſima, ornandis, & augendis ſtudijs, ingens auri pondus profundere nunquam deſtitit? Qua vna illecebra virorum flos, & literatiſſimus quiſque ex toto Orbe delibatus huc trahitur?

Sed

Sed diu vulgi querelis aures circumſonant, indignantis, nimia, atque enormia Doctorum ſtipendia eſſe. Verum induſtria, præmij magnitudine intenditur, vbi illud dempſeris, ipſa per ſe virtus amara eſt, & aſpera. Hoc ipſo Veneta ſublimitas ſuper cetera decora, conſtat, & ad extremos vſque terrarum fines porrecta, Regum omnium munificentiæ tenebras obducit, totiuſque Orbis plauſu, & veneratione celebratur. Quam animi altitudinem accuſando violare nefas eſt, & tantæ maieſtatis injuria. Cuius inauditæ liberalitatis ratio conſtat, etiamſi fouendis ingenijs, & propagandis literis modum excellerit. Nemo enim Principum generoſitatem, ſed puſillum, & male munificum animum reprehendit. Dura, & adſtricta parſimonia & minuta diligentia priuatorum laus eſt, Principi erubeſcenda, qui largiendo proxime ad Deum accedit. *Deus eſt mortali iuvare mortalem, & hac eſt ad æternam gloriam via.* Et quamuis Princeps donationibus ærarium exhauriat, nunquam tamen pauperior fit. Nam vt regnantium optimi laudator ait, cuius eſt quicquid eſt hominum, tantum ipſe, quantum omnes habet, nec tam donat, quam bona reditura commodat. Nimirum quod in eodem Principe, ſummis laudibus idem Conſularis extulit, verius hodie Venetæ reip. aptari poteſt: nunquam Principibus deeſſe, qui fronte graui vtilitatibus fiſci adſint: ſed ſicut Traiani, ita Senatus optimi aures, minime generoſis admonitionibus obſtructas eſſe.

Hoc vno Reginę pecunię illectamento viri in omni diſciplinarū genere ſpectatiſſimi è ſinu, gremioq; patriæ abſtrahuntur: quę pecunia quantam vim habeat, vel illi philoſophi fatentur, qui rerum humanarum contemptum profeſſi, diuitias ſub gloria egeſtatis auidius expetunt. Nam quæ res alia Gymnaſium hoc ſuper alias Academias longe extulit, & ad vltimas terrarum oras famam eius extendit, vt interdum tria, atque amplius capitum millia, patrum æuo, numerata ſint, quid inquam aliud quam inſignis Profeſſorum virtus, blanda frequentiæ conciliatrix, & nominis fulgor extrema Thule circumſcriptus? Cum omnes il-

luc

luc gregatim confluant, vnde liberalior profectus ſpes affulget: quia ad famam non leue momentum habetur, ſub viris præſtantiſſimis ſtudiorum tyrocinia poſuiſſe. Vt de hoc Gymnaſio rectius prædicari poſſit, quod de Alexandrino prodidit Marcellinus, ſtudia ibi floruiſſe, præcipue Medicinam, vt ſufficeret ad commendandam artis auctoritatem, eſſe aliquem Alexandriæ eruditum.

Putatis nè ex vltimis deficientis Orbis finibus iuuentutem agminatim huc conuolaturam, ſi puſilli, & ſemitarij Doctores operam ſuam, veluti coqui nundinales nummo addicerent, aridique, ac ieiuni, incertum peiore veſte, an ingenio, non ſemel paſtoritia fiſtula excepti, Apollini, ac Muſis ludibrium deberent? Doctores honorum, ac lucri ſpes largior, & par ingenio pretium, diſcipulos profeſſorum fama & celebritas conuocat. Nemo enim profeſſor penates, ac dulce ſolum, extremum illud viſurus relinqueret, nec tot laboribus, ac vigilijs ætatem contereret, ſi inopem ſenectam, baculumque, & tegetem reformidaret. Nam qui ſapientiam, & facultates ſapientiæ adminiſtras ad tribonium, & peram reuocant, diuitias tanquam literarum corruptelam proſcribunt, & doctrinæ ſanioris argumentum paupertatem iactant, næ illi digni ſunt, vt in hac felicitate conſeneſcant: illis autem qui liberaliori fortunæ inuident, quid aliud optemus, niſi vt perpetuo id faciant?

Atqui Anteceſſorum ſtipendia olim reſtrictiora fuerunt. Poſſum ego memorare non paucos, qui, ſi non maiora, certe paria conſecuti ſunt. Verum vt ille apud Tacitum ait, auctu Imperij adoleuere etiam priuatorum opes: neque id nouum, ſed ex vetuſtiſſimis moribus. Aliam apud Fabricios, aliam apud Scipiones pecuniam, & cuncta ad Remp. referri, quia tenui anguſtas ciuium domos, poſtquam eo magnificentiæ venerit, gliſcere ſingulos, neque in familia, quæque ad vſum parantur nimium aliquid, & immodicum, niſi ex fortuna poſſidentis: ſublatis ſtudiorum pretijs etiam ſtudia peritura, vt minus decora. Sanè hic, & vbique per bellorum impróſpera, aucta nummi æſtima-

tione,

tione, rerum omnium pretia quotidie intenduntur, annona carior, opificum merces duplicata, vt ſumptus cenſum exſuperet, niſi Principis liberalitate ſuppleatur.

Præterquam quod honeſtæ, ac moderatæ opes dignationem, & cultum profeſſoribus adſtruunt, & contemptum auertunt: cum iam cenſu magis homines, quam ſenſu, ac moribus vulgo cenſeantur. *Dî maiorum vmbris tenuem ſine pondere terram, ſpirantesque crocos, & in vrna perpetuum Ver*, qui Profeſſoribus ſtipendia conſtituerunt. Vt facilius, quod ait Conſtantinus Magnus liberalibus ſtudijs multos inſtituerent; ſed quod caput eſt ne more veterum ſophiſtarum, diſciplinas venum exponere cogerentur, beneficij magnitudinem pretio corrumpere, Muſas proſtituere: mercedem, ac tributa à diſcipulis fœdiſſima pactione corrogare, & ſcientias cauponari. Quod eſt præceptores, diſcipulis in famulatum, ac veluti nervum addicere, cum ipſa merces ſit ſeruitutis auctoramentum. Hoc beneficio Profeſſores prenſandi, æruſcandi, & inferiores adulandi neceſſitate, & crimine ſordium ſolvuntur, paucis admodum hic doctrinam negotiantibus. Iuventus autem, cui res anguſta domi, à diſciplinis paupertate non ſubmouetur, nec res omnium pretioſiſſima pretio addicitur, atque euileſcit.

Sed iam ad ſummam defenſionis ventum eſt. Rhetoris merces eſt lautiſſima, Mineruall nimium, & immodicum, & inter proximos quoque, vt hodie viuitur, inuidiæ capax. Quis ſuperis conuicium facit, quoties in immerentes bona ſua profundunt? Quis Magnum Alexandrum, præter Romanum Stoicum reprehendit, quod priuato homini Vrbem donauerit? Et cum ille cui donabatur ſe ipſe menſus, tanti muneris inuidiam refugiſſet, dicens, non conuenire fortunæ ſuæ: non quæro, inquit Alexander, quid te accipere deceat, ſed quid me donare. Sic cum alicubi, non ex Conſulibus Rhetores, ſed aratores ex oratoribus fiant, nolite quærere quid illos hic accipere, ſed quid rempublicam Regum omnium munera ſupergreſſam deceat largiri. Quis Principem benefaciendi tenaciſsimum ad calculos

inuidioſe reuocat, atque eius liberalitatem ſufflaminat, & illi legem ponit, cui de ſtudijs, etiam ſupra vota benemereri vna lex eſt?

Ceterum licet nemo felicitatis rationem reddere cogatur; non homini, ſed quadraginta annorum, & quod excurrit obſequio, & laboribus, neque plane inutilibus, neque obſcuris, à tenui initio, & reſtricta mercede, per lenta ſexennij incrementa, & longas moras, luculenta præmia ſunt data. Non homini inquam, cui ſicut animus fidens, & ſpei plenus, ac de literis bene merendi ſtudium efficax, ita exiguum ingenium, modicæ vires, & quantulacumque exercitatio, ſed ſtudijs pulcherrimis, & maxime arduis, quæ iam prope extincta, externo in Orbe fugam quærunt, hoc decus, & ſolatium additum eſt. Vt hoc incitamento facultas difficilis in primis, & laborioſa, vbique ſterilis, & infrugifera; atque ideo prope deſerta, lætius, & feracius à ſtirpe reuireſceret, & ad exteros transfuga, aureis vinculis, vt olim Tyri Herculis ſimulacrum, retineretur.

Sæpe equidem admiratus ſum, nullum eſſe tam vile, ſordidum, ac pudendum artificium, quod auctore, & adminiſtro careat. Et cum vnuſquiſque liberaliores, aliquando etiam fructuoſiores artes exercere poſsit, malle in fœdiſsimis, ac ſeruilibus miniſterijs ætatem conſumere. Ita foſſores, & baiuli, & quicumque ſe ſponte veluti ad metalla damnant, agaſones, iumentarij, cloacarum, & ſepulchrorum curatores, lenones, ſatellites, carnifices, & talia vitæ dehoneſtamenta, nunquam deficiunt: admirabili prouidentiæ deſtinatione, ne quid vitæ vſibus, aut rerum vniuerſitati deeſſet.

Sed multo magis admirari ſoleo, cum tot artes, ac diſciplinæ ſint, quæ ſublimiores creduntur, certe longe ſunt quæſtuoſiores, minuſque fortaſſe ingenij, & laboris expoſcunt, reperiri, qui Rhetoris munus, ingenuam crucem, non ſuſcipiat modo, verum etiam ambitioſe ante mortem Anteceſſoris affectet. Quam mortem, cum aliqui ſe expectare negent, imò poſtulamus ab illis, vt tantiſper expectent. Cum ſuper immenſos labores, &

per-

perpetuas contentiones, quibus omne genus ſcriptorum euoluendum eſt; vltima antiquitas excutienda, nulla non ars, ac diſciplina ſaltem delibanda ſit, nihilominus alicubi magna pars cum paupertate luctatur, nec tantum mercedis corradit, quantum ſatis ſit, vt caput, aut pulmentarium vnctius reddat: & cum plerique cauſarum patroni, ac medici nummos modio metiantur, nummularius, ac daniſta, feruentis auri ſaccos referant, *ſola pruinoſis horret facundia pannis, Atque inopi lingua deſertas inuocat artes*.

Non eſt quidem Batauorum reipublicę cum Veneta comparatio. Sed viri illi fortiſsimi, pretio ſanguinis, & admirandis rebus geſtis, libertatem, atque immortale nomen emercati, ſæuiſsimo quadraginta annorum bello flagrante, plurimos viros, in omni diſciplinarum genere præſtantiſsimos, & quibus nulli iam pares habentur, euocarunt, Martiſque manubias muſis conſecrarunt: cumque bello ſumptus deeſſet, iam tum inuidenda ſtipendia illis ſtatuerunt, tantæ rerum claritati, tam benignum teſtimonium miſcentes. Sed duos præcipue omnis memoriæ viros clariſsimos, & harum literarum ſine controuerſia Principes, Ioſephum Scaligerum, & Claudium Salmaſium, bis mille Philippeis ſingulos conduxerunt, & ſupra cetera decora, hoc illis veluti emeritis indulsêre, ne cum ceteris publice profiteri cogerentur, ad famam ſatis eſſe rati, ſi tales viros, extra omnem comparationis aleam poſitos, operum immunes, apud ſe haberent, & literario Orbi, vſque in inuidiam oſtentarent.

Si Veneta reſpublica Rhetorem, nulla quidem in re, cum magnis illis comparandum, ſed quadraginta ſtipendia numerantem, & quantulumcunque illud eſt, quod labore, & diligentia conſecutus videtur, ſiue fortuna, ſiue aliqua ingenij opinione, Regum maximi, atque aliorum Principum vltro oblata opima congiaria, atque honoris inſignia non ſemel promeritum, quaſſatum morbis, ac ſenio fractum, & tum maxime ſine miſſione opus vrgentem, in proximæ mortis ſolatium, & ſepulchri honorem, pari largitione cohoneſtet, prodigium maioribus ho-

ſtijs expiandum iactabitur?

Quanquam ſi vetera repetamus, & in Romanam magnanimitatem, cuius æmula Veneta reſp. ſemper fuit, contemplationem vertamus, longe maiora, atque vberiora ſtipendia Rhetoribus conſtituta reperiemus. Veſpaſianus enim cetera Princeps optimus, ſed auaritiæ ſordibus infamis, qui præfandi humoris olens vectigal excogitauit, primus, teſte Suetonio, e fiſco Philoſophis, ac Rhetoribus annua centena conſtituit, ideſt eruditorum conſenſu, bis mille, & quingentos Philippeos, ſiue nummos qui hodie à Ducatu nomen acceperunt. Ampliſſimum ſane, vt nunc mores ſunt, honorarium, pro ratione autem illorum temporum admodum tenue. Nam præterquam quod Verrium Flaccum Gramaticum, Auguſti temporibus, tantundem lucratum eſſe, idem Suetonius tradit, & medicis ducena ſaltem ſexagena, ideſt ſex ducatorum millia, mercedem apud Principes fuiſſe, Plinius ſcriptum reliquit: Eumenius Rhetor, qui Auguſtoduni profitebatur, in Oratione pro inſtaurandis ſcholis, reſcriptum Diocletiani, & Maximiani refert, quo in Reip. iuribus ſalarium accipere iubetur in ſexcenis, quæ eſt ſumma Philippeorum quindecim millium. Id incredibile viſum eſt Alciato, & ideo ita intelligi vult, vt non ſexcena acceperit, ſed in ſexcenis. Ideſt huic Rhetori præſtitum redditum, ac fœnus, quod ex tali ſumma redigeretur, atque ita mille tantum, & octingentos Philippeos percepiſſe.

Nimirum dura res, & noua Alciato videbatur, ſicut nunc etiam pleriſque videtur, plus Rhetori datum, quam centum Iuris conſulti retuliſſent. Nam de Iaſone populari ſuo, ac præceptore ita prædicat: primum illum aureos millenos meruiſſe, ac veluti Principalis ærarij portas refregiſſe. Nec ſatis Alciatus concoquere poterat, Iuriſprudentiæ ſummum ægre ad aureos millenos perueniſſe, Rhetorem, vel vt iſti aiunt, Grammaticum, xv millibus ditatum eſſe. Verum cum ille præciſe dicat, ſexcena ſibi deferri, & cum antea magiſter ſacræ memoriæ tercena perciperet, ea ſibi geminata eſſe: cumque inaudita gene-

roſitate,

roſitate, ſe illam ſummam impenſurum eſſe, ad ſcholas illas inſtaurandas profeſſus ſit, eamque immanem reſtitutionis molem appellet, non fuiſſe minorem credibile eſt, quanta tanto operi perficiendo ſatis eſſe poſſet. Quicquid ſit, bis mille, & quingentos Philippeos Philoſophis, ac Rhetoribus in Vrbe ab illiberali Principe decretos, indubitatum eſt, cum in prouincijs decem drachmarum millia, ideſt millenos Philippeos, legitimum ſtipendium fuiſſe inter ſcriptores conueniat.

Gaude igitur rerum publicarum Regina, religionis columen, Italiæ ſalus, libertatis iam ſola fides, & literarum ſpes vnica: gaude inquam hac immortali beneficentiæ laude, cui comparari non poteſt alia. Nam ſollicita hæc erudiendæ iuventutis, doctrinæque & eloquentiæ propagandæ, ipſius ærarij profuſione, perpetua cura, ac veluti verſa vice tributum ſubiectis à Principe depenſum: illuſtratus ſtudiorum honor, atque optimarum artium celebratio, non minus gloriæ tibi addit, quam inter famulas gentes conſeruata tandiu libertas: æquore toto prædones exacti: immenſa millia ferarum, atque immitium gentium, Italiam more procellæ inundantium repreſſa: Thracia Luna ſanguine ſuffuſa: Turcici arcus, pharetræque calcatæ: infecta victorijs maria, Oriens triumphis, Occidenſque luſtratus.

Vos autem Viri Clariſſimi, quos felicitas temporum, & fortuna Imperij vultu meliore reſpexit, quoſque ſtudiorum hæc nutrix, verius dicam, parens indulgentiſſima, immortalitate cæleſtium munerum vſque in inuidiam dignos iudicauit, in eius venerationem procumbite, docendi præmia in hac ſede dicendi conſecrate, procudite ingenia, expedite mecum calamos, huc doctarum noctium vigilias conferte, huic vni Operi inſudate, nec linguam modo, ſed ſpiritum, vitæque & ſanguinis, quod ſupereſt, pro eius gloria deuouete.

Tuque florentiſſima Iuventus, ſeculi ſpes, ac votum, quæ his Muſarum ſacris læta operaris, quæ hęc ſerena ſapientiæ templa concelebras, eorumque præmiorum expectatione imbueris, quę nec dare fortuna poteſt, nec eripere, cape animos hac indul-

dul-

dulgentia dignos, tantamque beneficentiam; ad quam non animos modo inſolito gaudio exhilarari, ſed ipſos parietes, & tecta lætius renidere decet, adora. Diſce nobis, veluti ſolemne carmen præeuntibus, optimi Principis, qui, vt ne votis quidem opus habeamus, effecit, ſine exemplo, & ſine æmulo, inexhauſtam magnanimitatem ad cælum tollere. Cui cum omnia tulerimus accepta, conturbabimus tamen, & mori cogemur ingrati. Cumque omnis diſertiſsimorum hominum facundia conſumpta ſit, nobis infantiſsimis nihil aliud ſupereſt, quam vt de tam munifico Principe aliquando tacere audeamus. Dixi.

MC